



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Juramentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

effectu obtineatur, requiritur tamen, ut quis delinquat cum scientia Prohibitionis, & pœnæ.

JURAMENTUM.

366. **Q**Uæritur. An vocare Deum in testem mendacii levis, sit tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia licet mendacium sive jocosum, sive officiosum, sive perniciosum desumat suam gravitatē, aut levitatem à damno gravi, aut levi, quod alteri, aut commercio humano irrogat, ut proinde, si damnum leve irroget, culpam venialem non excedat; malitia tamen perjurii suam gravitatem desumit ex eo, quod Deus prima veritas adducatur in testem falsi, ad quod parum refert, quod falsitas illa sit gravis, aut levis, perniciosa, vel tantum jocosam; gravissima autem irreverentia Deo irrogatur, quod adducatur in testem falsi; idcirco nunquam perjurium assertorium poterit a mortali excusari; ut manifestè constat ex propof. 24. inter damnatas ab Inn. XI. immò gravius est peccatum perjurii etiam in materia levissima, quam ipsum homicidium, & quodcumque aliud peccatum contra proximum, illud quippe immediate Deum lædit, & parvitatem materiæ omninò excludit.

367. **Q**Uæritur. An sit licitum cum causa jurare sine animo jurandi?

Resp. Negativè juxta decretum Innoc. XI. damnantis propof. 24. ratio est, quia jurans sine animo jurandi, sive juret verum, sive pejeret, sive in re gravi, sive in levi,

hvc

sive videatur habere causam, sive non, nunquam excusari potest, ut minimum à mendacio, mentitur enim, qui dicit, juro, nolens jurare, non secus ac, qui dicit, promitto, dono, carens animo promittendi, donandi &c. sed mendacium nunquam est licitum, quantacumque detur causa, quia est intrinsecè malum, ergo nunquam licet jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis, semper est peccatum mortale, ut numero sequenti.

368. Quæritur. An qui jurat falsum sine animo jurandi, etiam in materia levi, peccet mortaliter?

Resp. Affirmativè citra controversiam, ratio est, quia invocatione externa adducitur Dei nomen ad falsum confirmandum, quòd sine gravi irreverentia, & magno abusu divini nominis contingere non potest, etiam si sit in materia levi, nam sicut in idolatria, in blasphemia, in infidelitate &c. non datur parvitas materiæ, quæ à mortali excuset, licèt desit animus internus litandi idolo, blasphemandi, non credendi &c. ita nec in perjurio, licèt desit animus internus jurandi.

369. Quæritur. An graviter etiam semper peccet qui jurat sine animo jurandi, dum verum jurat?

Resp. Peccare dumtaxat venialiter, dummodo juramentum non fiat in contractu, aut in judicio legitimo, ratio est, quia hujusmodi mendacium (quod proculdubio profert, qui dicit se jurare, non habens animum jurandi) neque Deo, neque homini est injuriosum; cum invocetur exterius ad confirmandum dumtaxat verum, & quamvis aliqua irreverentia sit illum

invo-

invocare sine animo invocandi, atque aded in vanum, ea tamen non est gravis irreverentia, neque est injuriosum homini, quia supponimus hoc fieri extra contractum, & extra judicium legitimum, ac extra quemcumque casum, in quo homo damnum aliquod patiatur ex hoc ficto juramento.

370. Quæritur. An qui ex consuetudine jurat, dicendo v. g. Per Christum, Per Deum Sacratum, per Virginem Mariam, Per S. Antonium &c. nihil affirmando, vel negando, peccet mortaliter?

Resp. Peccat venialiter, nisi ex conscientia erronea credat se peccare mortaliter, & nisi ob illam consuetudinem exponat se periculo pejerandi, vel aliis scandalum præbendi, quia in iis Casibus proculdubio peccabit mortaliter, quoties similes formulas juratorias protulerit, à quibus deinceps usurpandis se diligenter continere tenebitur.

371. Quæritur. An sicut semper est illicitum in juramento assertorio iurare sine animo jurandi, ita semper sit illicitum in promissorio?

Resp. Affirmativè, quia scilicet nunquam deest saltem mendacium irreligiosum, unde fit nullam causam, quam, quantumvis gravem, posse efficere, quod id liceat, etiam si iuramentum coactè, & per iniuriam exigatur, adde quod in promissorio, iurare sine animo se obligandi est etiam illicitum ex vi talis iuramenti, cum reverentia debita Numini invocato exigat natura sua, quod iurans obligetur ad reddendum factis verum id, quod promittitur, adducendo Deum in Promotorem, & sponsorem talis veritatis: Hinc etiam est illicitum iura-

re sine animo implendi, quod sub juramento promittitur, quamvis gravius peccat, qui iurat sine animo se obligandi, quam qui iurat animo non implendi, quia videtur gravior irreverentia velle Deum adducere in testem, & nolle ejus testimonio astringi, quam nolle ponere, quod juratur; datur tamen parvitas materiæ in juramento promissorio quoad executionem rei promissæ, sed non quo ad perjurium; ut numero 368.

372. Quæritur. An contra virtutem Religionis peccet qui ad confirmandum mendacium addit verba, quæ juratoria non sunt, nec ut juratoria ab audientibus accipiuntur, juramenti tamen speciem præferunt, hujusmodi sunt ista: in veritate, in mea conscientia, per fidem mei, per fidem Sacerdotis, non intelligendo fidem catholicam &c.

Resp. In his casibus, præter mendacium, nullam aliam culpam reperiri contra virtutem Religionis, cum Deus non invocetur, nec significetur invocari ad falsum testandum; quod si ab audientibus ex ignorantia apprehendantur formulæ istæ, ut juratoriæ, tunc ad vitandum scandalum hoc passivum non sunt usurpandæ citra sufficientem necessitatem, aut utilitatem propriam, vel alienam ad veritatem confirmandam; quando tamen de aliquibus formulis dubitatur, nam accipiuntur communiter ut juratoriæ, tunc stat in possessione libertas, atque adeo usurpari possunt tanquam non juratoriæ, cavendo pariter aliorum scandalum.

373. Quæritur. An mortaliter peccent Nobiles, & Aulici, qui dum simul ambulaturi procedunt, jurant, se non ituros ad dexteram, non sessuros primo loco, dicendo: per Deum non ibo, per Christum non sedebo;

bo;

bo; postea tamen invitationem victi dextera-
ram, & primum locum accipiunt?

Resp. Si dum jurant non habent intentionem jurandi, & se obligandi ad non capiendum primum locum, mortaliter peccant ex defectu veritatis juramenti, si verò habent intentionem jurandi, sed non animum se obligandi, pariter mortaliter peccant, ex eo quod adducant Deum in testem falsi, & fideiussorem promissionis non intentæ, nec obstat, quod res sit levis, quia semper deest veritas executionis juramenti, & quoad hanc Deus in testem falsi vocatur; si verò habeant intentionem jurandi, ac pariter se obligandi; & postea coacti prius sedeant, non peccant contra juramentum, tum quia promissio illa de re inutili, vel indifferenti habet tacitam conditionem adjunctam (si me non coegeris) qua sublata non obligat, & consequenter nec juramentum, tum quia relaxatur ab altero cedente juri suo.

374. Quæritur. An dum parentes jurant, se castigaturos filios, possint postea eos non castigare?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia in tali promissione jurata implicite continetur hæc conditio, nisi veniam rogent, nisi se emendaverint &c. nec tunc peccant; modo quando jurarunt, habuerint intentionem jurandi, & castigandi.

375. Quæritur. An sit mortale, & perjurium jurare falsum cum restrictione pure mentali, seu cum locutione amphibologica; si nimirum ut quis nõ intendat propositionem, quam profert, in sensu, in quo ab audientibus intelligitur, sed in alio; seu subintelligat aliquid in mente, quod reddat

dat propositionem veram, quæ secundum externam vocis significationem est falsa: v. gr. interrogor; an Petrus occiderit Paulum, quem ego ab eo occidere vidi, ne Petrum infamem, juro per Deum, nescio Petrum occidisse Paulum; subintelligendo in mente, ut tibi referam, vel aliquid aliud?

Resp. Esse perjurium, patet ex propos. 26. & 27. inter damnatas ab Innoc. XI. ratio est; quia in eo mentior, etenim cum verba illa, nescio Petrum occidisse Paulum, simpliciter prolata, significant me absolute id nescire, dum mente sensum restringo, vel in alio sensu subintelligo, quem ipsa verba secundum externam vocis significationem non habent, vel in quo scio ab interrogante non intelligi, falsum dico, nam aliud ore dico, & aliud mente teneo, & illis verbis utor, ad hoc, ut audiens fallatur, & credat verum esse, quod verba sonant; si hoc non intenderem verba falsa non pronunciarem, verax, & non mendax essem, & ideo cum addo mendacium juramentum, sum perjurus, atque adeo mortaliter pecco.

376. Queritur. An sit licitum iurare cum restrictione reali, & externa, quæ habetur, quoties verba unum de se significatum habent, sed ex circumstantiis, & adjunctis habent aliud significare, ut proinde possint secundum se esse falsa, sed quatenus simul cum circumstantiis consignant, possint esse vera?

Resp. Affirmativè, ut Judex pro Tribunali dicat, Petrum esse innocentem, quem tamen privata scientia scit esse reum circumstantiæ enim illæ significant, Petrum haberi à Judice ut innocentem iuridice,

ce, seu secundum allegata, & probata: sic Christus Dominus dicens Jo: 7. *Ego autem non ascendam ad diem festum hunc*, verissimum dixit, quamvis ascenderit, quia ex circumstantiis verba illa denotabant se non ascensurum publicè ad ostendendam miraculis suam Divinitatem, ut rogabatur? ad restrictionem istam non purè mentalem reducitur usus duplicis scientiæ, videlicet communicabilis, & incommunicabilis, quatenus ex circumstantiis apparet verba sumenda esse, spectata tantum scientia loquentis communicabili? ut quando Confessarius interrogatur, an aliquid sciat de peccato pœnitentis? & ipse respondet, nihil scire: ex circumstantiis denotatur, se nihil scire, quatenus homo est, seu scientia extrasacramentali, & si rursus à Tiranno vel à iudice intetrogetur, an aliquid de tali peccato, ut Confessarius, scientia sacramentali licitè incommunicabili? poterit cum juramento asserere, se nihil scire, quatenus homo est, seu scientia extrasacramentali.

377. Notandum tamen, quod sæpè à DD. restrictio illa realis, & non purè mentalis confunditur cum æquivocatione, quando scilicet reverà verba duplicem sensum habent, alterum secundum se spectata falsum, alterum verum sub talibus circumstantiis, sub quibus apparet, ea verba sumenda esse; in rigore tamen æquivocatio habetur; quando verba secundum se habent duplicem sensum, ut cum dicitur, Petrus non est in triclinio, quod potest esse verum, si sit in triclinio, sed ibi non comedat, sumendo ly non est, pro non comedat? restrictio tamen non pure mentalis, seu

seu realis habetur per verba, quæ de se unam tantum significationem habent, sed ratione circumstantiarum habent aliam, ut dictum est, omnes tamen conveniunt, quod eodem modo fit illicita æquivocatio, ac restrictio non purè mentalis, quando passim adhibentur, & sine rationabili causa, cum sint destructiva humani commercii, si sensum falsum habeant obvium, & sensum verum obscurum: utraque etiam ex rationabili causa licet; quis enim neget, posse Confessarium, vel secretarium ad occultandam veritatem uti æquivocatione, vel restrictione non purè mentali? idemque dicendum si adultera interrogetur à marito, an commiserit adulterium, & in similibus casibus, in quibus datur rationabilis causa permittendi alterius deceptionem, salva semper veritate loquentis, qui nunquam poterit deceptionem proximi vel e per mendacium, quippe quod est intrinsecè malum sicut nec potest æquivocare qui iuridice interrogatur, quia in tali casu debet prævalere bonum publicum bono privato.

378. Quæritur. An juramentum restrictioni purè mentali superadditum possit dici perjurium?

Resp. Affirmativè, primo, quia quamvis Deus invocetur ad testandum verum illud, quod in mente retinetur, invocatio tamen ista fit etiam ad testandum alteri falsitatem; quam exprimunt verba; deinde quia ex *D. August. mediante juramento nequiter decipere credentem, perjurium est*, tertio quia ex *D. Hierony. & Angelico omne juramentum illicitum vocatur perjurium*, ergo perjurium habetur etiam in nostro casu, quia juramentum deservit ad decipiendum, & ad confir-

man-

mandum mendacium, quod est illicitum, esto animus sit invocandi Deum ad testandum verum, quod in mente retinetur.

379. Quæritur. An ad utendum æquivocatione, & restrictione externa, seu non pure mentali requiratur aliqua Causa?

Resp. Requiritur, ratio est, quia nisi datur causa excusans, non intenditur directè occultatio veritatis celandæ, nec deceptio solùm permittitur, quod est licitum, sed ea intenditur directè, unde non declinatur mendacium consistens in falsa vocis significatione cum intentione fallendi, propterea si hujusmodi æquivocationi illicitæ superaddatur juramentum, non declinatur perjurium.

380. Quæritur. An non solùm verbis, sed etiam factis, signis &c. sit illicitum uti restrictione purè mentali?

Resp. Affirmativè etenim non solùm in verbis falsis, verùm etiam in factis, signis & simulatis operibus mendacium potest committi, ut docet D. Tom. 2. 2. *quest. 3. art. 1. in corpore*; sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam apud se habet, quod ad mendacium pertinet, ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est, quod proprie simulatio dicitur, unde simulatio proprie est mendacium quoddam in signis exteriorum factorum consistens non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto.

381. Quæritur. An qui ad officium publicum promotus est, possit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quoties
de

de mandato Regis, aut ex speciali statuto ab eo exigitur, quod non obtinuerit illud mediâ subornatione, commendatione, vel munere?

Resp. Negativè, sed peccat graviter, & est etiam perjurus, non secus, ac peccat graviter, & est perjurus reus juridicè interrogatus de delicto, quod inquiritur ad vindictam, quando præcessit semiplena probatio si cum æquivocatione, & juramento negetur; æquivocatio enim, vel restrictio mentalis non liberat à perjurio, nisi fiat ex justa Causa, hæc in casu nostro reverà non intervenit, cum Rex, seu lex non intendat, quod candidatus revelet proprium crimen patratum in hoc, quod per commendationem, aut munera promotionem procuravit, sed solum intendat, quod candidatus retrahat se ab eo officio, ne hac via Magistratus cum detrimento Reipublice conferantur indignis, ergo cum in tali casu præceptum non sit durum, sed rationabile, & valde expediens ad publicum bonum, tenetur subditus obedire, ut proinde quamvis nulla præcesserit infamia aut semiplena probatio de delicto, debeat deinde illud detegere, ut repellatur, si nolit ipse se retrahere; hac de re perpende propos. 28. inter damnatas ab Innoc. XI.

382. Quæritur. An quando superior promovendos ad sacros ordines interrogat de natalibus, de censuris, de irregularitate, & quando volentes contrahere matrimonium interrogat de impedimento, detur obligatio respondendi absque æquivocatione, vel restrictione mentali?

Resp. Dari, quamvis nulla præcesserit infamia, aut semiprobatio de ullo delicto;
quia

quia ad impediendum commune damnum tenetur vel manifestare, vel non petere.

383. Quæritur. An sint perjuri scholares illi, qui ad obtinendas matriculas ad lauream doctoralem prærequisitas, dum mandato Regis, aut ex speciali statuto interrogantur, num præmiserint tempore debito studium prærequisitum, cum juramento affirmant, æquivocando, aut jurando sine animo jurandi.

Resp. Constat ex dictis, æquivocationem aut restrictionem mentalem in casu nostro non licere, ac proinde juramentum; etiam si fiat absque animo jurandi, esse perjurium, prout explicatum fuit in resolutionibus præcedentibus; neque dicas, quod Ministri sæpe sint conscii harum fraudum, & conniveant, unde videtur juramentum exigi potius ex quadam antiqua formula, quam animo impediendi susceptionem matricularum iis, qui debito studio non vacarunt, atque adeo possunt cum æquivocatione, vel restrictione mentali respondere; nam quamvis aliquando Ministri conniveant, non proinde fit, quod juramentum de mandato Regis, aut ex speciali statuto exigatur ad pompam.

384. Quæritur. An poenitens, dum à Confessario interrogatur de consuetudine peccati, de occasione proxima, de quantitate furti, aut de aliis circumstantiis aggravantibus peccatum, quoties ea notitia deservit ad rite exercendum munus Judicis, Doctoris, ac Medici, possit cum æquivocatione, vel restrictione, mentali respondere?

Resp. Negativè, ratio est, quia Confessarius tanquam Judex, Doctor, & Medicus in foro sacramentali jus habet interro-

gan-

gandi pœnitentem, ut videat, quorum ignorantia laboret, quorum instructione egeat, & an aliquid desit ex necessariis ad valide in causa pronuntiandum, ac sibi satisfaciât de dispositione penitētis, imponat pœnitentias medicinales, & præservativas, det remedia pro tollenda occasione proxima; & consilia præbeat, quæ conducunt ad emendationem vite in futurum, ergo pœnitens non potest æquivocare, vel cum restrictione respondere, sed sub gravi tenetur candidè veritatem dicere, esse non teneatur ea subiicere clavibus, si de his non interrogetur.

385. Queritur. An promotus ad Magistratum, Prælaturam, seu officium publicum, qui interrogatus juridicè, cum mediante commendatione, vel munere illa obtinuerit, veritatem pejerando occultavit, teneatur statim Prælaturam, seu officium renunciare, & damna compensare alteri, qui sua causa non est electus?

Resp. Quod si collatio Magistratus, vel Prælaturæ ex speciali statuto sit ipso iure irrita, quoties per commendationes, aut munera paratur aditus ad illam, sive hic peieraverit, sive non semper tenetur eam renunciare, cum invalide fuerit promotus, debetque pariter damna compensare ei, qui fuisset eligendus, cum fuerit illi iniurius, quod si collatio illa non fuit invalida ipso iure, sed invalidanda per sententiam iudicis post delictum deprehensa, qui negavit delictum, peccavit quidem, sed non tenetur ante sententiam iudicis renunciare, & probabile est, quod non teneatur damna alteri compensare, cum nec peccaverit contra iustitiam commutativam respectum

ctum

etum eligendi, sed contra obedientiam iudicis vel contra iustitiam legalem respectu Reipublicæ vel contra Religionem.

L A U S.

386. **Q**Uæritur. An Laus, quæ defer-
tur Mariæ, ut Mariæ, vana sit?

Resp. Tanquam hæretica damnatur expressè ab Alexandro VIII. cum propos. 26. opinio affirmans, laudem, quæ Mariæ, ut Mariæ deferitur, vanam esse; ratio est, quia perpetuo Ecclesiæ usu, & traditione constat, Sanctis omnibus, & à fortiori Mariæ in quantum Mariæ ratione propriæ Sanctitatis, & excellentiæ deferri, ac deberi, non solum laudem, honorem, & gloriam, sed etiam adorationem, & cultum eosque utiliter à fidelibus invocari; ergo laus, & adoratio Mariæ, ut Mariæ delata, nec non eius invocatio non est vana, sed pia, & utilis ad ejus patrocinium obtinendum, & salutem consequendam; quod constat ex *scripturis, & conciliis, & ex Trident. sess. 25. in decreto de invocatione Sanctorum*: Deinde nullus actus virtutis supernaturalis potest esse vanus, & inutilis ad salutem, sed laudare, honorare, invocare, & adorare Mariam, ut Mariam, sicut etiam Angelos, & Sanctos est actus virtutis supernaturalis; ergo non inaniter Maria, ut Maria laudatur; immò cum D. Bernardo: Totis medullis cordium, totis præcordium affectibus, & votis omnibus Mariam, ut Mariam laudare, & venerari debemus, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam, cuius nomen Sanctissimum plenum omni dulcedine, ac suavitate divina, omni ore,